

quumque ille defloruerit, reliqui duplo minores priori conspici modo possunt, hisce tam diu nutantibus, ita ut hæc planta mirum in modum variet quoad modum florendi. Addidi hisce semina natura *Arctotis paradoxæ*, quæ si in fictili statim terræ committas, inque hypocausto deponas, tum flores subsequente æstate videbis, adjunxi plantar. *Capens. ramulos binos*, sub no. 11 & 17, quos antea omiseram, si horum genus velis indicare, erit mihi gratissimum.

De nave, quæ thesauros meos adferet, nil hactenus audivi vel vidi, licet sæpius apud D. Balguerie inquisiverim, spero salvos redituros, alioquin maxime dolerem. Nil porro novi tecum communicandum scio, a Cl. Gronovio fasciculum pro te accepi, quem prima occasione mittam. Valeas vir Optime, cum reliqua tua splendidissima familia.

Dabam

1 Octobr. 1757

raptim

Utanskript:

*A Monsieur
Monsieur Charl Linnæus,
Professeur tres Celebre
à
Upsal*

Linn. Soc., Vol. II: 416.

344.

Nobilissime & Amicissime Vir.

Tandem fasciculum tuum diu desideratum accepi, in quo omnia nitidissime conservata inveni, summas tibi agens gratias pro elegantiss: dissertationibus, atque *Helleborines* illustrationibus, quæ optime mihi placent, quasque olim ad eadem magna ex parte reduxeram genera, sed de minimis istis *Rusci* & *Ophioglossifoliis* hæsitaveram, quæque æri jam inciduntur, sed dolui me non invenisse additum *Regium Musæum* sæpius promissum ut & herbas quasdam rariores siccatas. En tibi descriptionem *Wacchendorfiæ* typis expressam, icones nondum incisæ erant per moram *Chalcographi*, quas in posterum mittam, licet delineationes ipsarum ab amico *Cunone* nuper ductas in ultimis meis miserim quas jam forte acceperis, quod moneas quæso, atque an tibi placeant.

Novam *Cunoniam* prima vice apud me florentem ante paucos dies delineavit idem vir atque hæc species petala eleganter gerit revoluta & ferrugineis striis maculata, ita ut penitus a reliquis sit diversa, pluresque alii novi florent jam bulbi, quos hac æstate ex *Cap. Bonæ Spei* accepi, inter illas splendidissima *Cunonia* ista magna *Capensis* quam *Cornutus* delineavit, sed mea triplo major & altior est. Addo jam unicam modo *Plumier*: iconem, ne epistola foret nimis crassa, & licet hæc plantæ ab auctore ad *Melissæ* genus fuerint relatæ, diversi omnino sane sunt generis, quod quæso indices, quum sint obscuræ.